

sacrificii merito comparari; dicit enim: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, quod autem ipsum hisce diebus, per devotiores animas, torrentem mundi in consecrandis vanitatibus modernis non sequentes, adimpleri Apostolus dicere voluerit, ex eo colligi videtur, quia immediate post dicit: *Et nolite conformari huic saeculo*, ubi Lyranus ait: « Id est, delectabilibus « hujus mundi; » et Hugo Cardinalis adjungit: « Quia mundus, caro, daemonia, diversa movent « praemia. »

7. — Quantopere vero sacrificium istud Deo gratum sit, ex uniuscujusque verbi, in praedicta sententia Apostolica contenti, pondere deducere licet; dicit enim in primis: *Ut exhibeatis*; ubi Interlinearis ait: « Licet caro repugnet. » Dicit postea: *Corpora vestra*; at vero ut Glossa ait: « Homo in « quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium « est, corpus enim nostrum cum temperantia casti- « gamus, si hoc propter Deum facimus, sacrificium « est. » Addit deinde: *Hostiam*, corpus autem nostrum, ut Glossa Interlinearis inquit, tum velut hostiam exhibemus, dum id facimus « in mortificatione « carnalium desideriorum. » Subdit: *Viventem*, id quod hisce diebus facimus, dum carnem nostram cum vivaci, seu vivo illius dolore et sensu mortificamus. Sequitur *sanctam*, id est, ut Glossa Interlinearis exponit: « In bonis firmam: *Haec est « voluntas Dei, sanctificatio vestra.* » Et quidem quomodo ex carne nostra hostiam sanctam efficere possimus, idem Apostolus nos in alio quodam loco optime docet, dicens: *Ut abstineatis a fornicatione, non enim vocavit vos Deus in immunditiam.* Dicitur insuper: *Deo placentem*; id quod nullo tempore commodius quam hisce diebus vanis et lascivis fit, nunquam enim gratis Deo obsequium, per abstinentiam a vanitatibus praestare possumus, quam hoc tempore, quo etiam major pars timoratorum hominum, licitum sibi esse putat, nonnihil relaxari et animum in hilaritatibus recreare. Concludit denique: *Rationabile obsequium vestrum*; id quod hoc tempore vel maxime fieri potest, nullo enim tempore nos ejus gratis digniores et capaciores facere possumus, per assiduitatem in divino servi-

tio, quam nunc, dum Deus a majori hominum parte, servitio suo destituitur; ad eum fere modum, quo proceres aulici et ephebi, tunc vel maxime et Regis benevolentiam et favorem sibi conciliant, quando eo tempore illius servitii et obsequii diligentissime vacant eique indissolubiliter adherent, quo ab aliis acriter et petulantem contemnunt et deseritur. Sic enim David Berzelai Galanditi regiam suam benevolentiam familiarissime obtulit, II Reg., xix, 33, dicens: *Veni mecum, ut requiescas mecum in Jerusalem*; imo regiam suam mensam, aliosque ingentes regios favores generose eidem obtulit, quia eidem David tunc praecipue regia fereula et alimoniam, aliaque subsidia obtulit, quando persecutionibus infestabatur: *Ipse praebuit alimenta Regi, dum moreretur in castris, traduxit Regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum.* Maxima autem persecutio, quae contra Christum et ejus legem instituitur, est illa, quam hoc tempore per tot lascivias, dissolutiones, aliasque turpitudines, Christiano homine indignas patitur.

Additio.

a. — *Qui autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono et optimo, audientes verbum, etc.* Pulchre Cajetanus ait: « Non sufficere cor honestum et « utile nisi adsit patientia in sustinendo adversa et « incurias quascumque, edocet Dominus a similitu- « dine terrae, quae quantumvis optima, non affert « fructum, nisi patiendò aratrum et similia. » Non sufficit tantum ut terra sit bona ad fructum ferendum, sed insuper necessarium est, ut aratro praecisa in varios sulcos deducatur; sic etiam non sat est, quod quis recto corde Dei verbum suscipiat, sed insuper opus est laborum tolerantiam et sustinentiam, ut fructum producat. Patientia enim lapis lydius est, ad quem vera virtus et spiritus comprobatur. V. Beda, super illa Christi verba: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ita scribit: « Id- « circo possessio animae in virtute patientiae poni- « tur, quia radix omnium, custosque virtutum « patientia est. Per patientiam vero possidemus « animas nostras, quia cum nobis ipsis dominare « discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod « sumus. »

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

EVANGELIUM LUC., CAP. XVIII, VERS. 31

31. Assumpsit Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.
32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur.
33. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.
34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur.
35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans.
36. Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset.
37. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazareus transiret.
38. Et clamavit dicens: Jesu, fili David, miserere mei.
39. Et qui praebant, increpabant eum ut taceret, ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.
40. Stans autem Jesus, jussit illum duci ad se, et cum appropinquasset, interrogavit illum dicens:
41. Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.
42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.
43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum; et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Versus 31.

Assumpsit Jesus duodecim et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.

1. — Redemptor noster Apostolus ex passione et morte sua perturbandos esse praevidens: « Prae- « dicit et passionis poenam et resurrectionis glo- « riam, » inquit Glossa, « ut cum morientem cer- « nerent, resurrecturum non dubitarent. » Auctor Imperfecti, *Hom. xxxvi*, addit: « Ut ab exitu « cognoscatur praesentia ejus; ex praesentia autem « ejus divinitas cognoscatur. » S. Cyrillus dicit, Apostolos ex hac praedicatione mortis suae anticipata intelligere perspicue potuisse, quod ad eandem se propria voluntate offerret et praesentaret: « Ne « dicerent, qualiter in manus hostium incidit, qui « nos promittebat salvare; unde seriatim ordinem « passionis narrat. » Idem quoque Theophylactus scribit, simul tamen aliud quoddam hujus praedictionis addendo motivum: « Ut doceat eos breviter « ferre, quae eventura, utpole qui ante audiverint. »

Ecce ascendimus.

2. — « Qui passionem suam, » inquit Albertus

Magnus, « ascensionem esse reputavit, » id quod pariter S. Mater Ecclesiae confirmare videtur, nam in vigilia Ascensionis utitur Evangelio desumpto ex novissimo sermone, in ultima caena ad discipulos a Christo habito, quem S. Joan. in Evangelio suo, xvii, 4, recenset, in quo Filius, ad Patrem suum conversus, dicit: *Pater clarifica Filium tuum*, ex quibus verbis deducitur, quod suspensionem suam in pabulum crucis, exaltationem, illustrationem et clarificationem suam appellet; ac proinde S. Leo de Christo, ad Calvariae montem egrediente, tractans, *Ser. x de Passion.*, ita scribit: « Emte itaque ad « locum clarificationis suae Domino. » Similiter Juda traditore e caenaculo egrediente: « Nunc cla- « rificatus est Filius hominis et Deus clarificatus « est in eo; » ubi S. Bernardus, *Ser. iv in Cant.*, ait: « Gandet et tripudiat, exultat et letatur et ait: « Nunc clarificatus est Filius hominis. »

Consummabuntur omnia, etc.

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, ait: « In quo « apparet mira profunditas mysterii Passionis « dominicae, pro eo, quod in ipso est consummatio « totius revelationis prophetae. »

4. — Porro causa, cur Ecclesia a Spiritu Sancto directa nobis hoc Evangelium proponat, mundanis gaudiis, quae hodie in summo gradu vigent, haec

forsitan esse potest, ut nos ab iisdem refrænet et coerceat; nam ut S. Leo, *Ser. ix de Quadrag.*, bene advertit: « Cum caro concupiscit adversus spiritum » et spiritus adversus carnem presidio crucis « Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditas » tibis noxiis illecta consentit. » In Regum libris legitur, quod, dum tres illi Reges civitatem arcta obsidione cingent, atque ad eas angustias rede-gissent, ut ad sui deditorem sese propediem resol-vere cogeretur, Rex Moab opera pretium se facturum arbitrabatur, si proprium filium in mœnibus civitatis, in conspectu omnium dilaniaret, IV Reg., xxvii, 27: *Arripisne filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum et facta est indignatio magna in Israel, statim recesserunt ab eo.* Tres validi exercitus, scilicet mundi, carnis et demonis, animam nostram hisce diebus gravi et periculosa obsidione cingunt, ut eam devastent et evertant; cui proinde æterna Providentia compatiens, ut hostes illos ab ea recedere cogat, corpus Unigeniti Filii sui in cruce crucifixerit in peccatorum et pessimarum voluptatum nostrarum expiationem, suspensum pupice propo-nit, quia ut Origenes, *in c. vi ad Rom.*, scribit: « Certum est, quod, ubi mors Christi animo cir-cumferitur, non potest regnare peccatum; est enim tanta vis crucis Christi, ut si illa ante oculos » ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus » furor, sed continuo ad ejus presentiam, totus ille » peccati et carnis fugatur exercitus. »

Additiones.

a. — Ecce ascendimus Jerosolymam, et consumma-buntur omnia, etc. Non sine magno mysterio sancta Mater Ecclesia hoc tempore presens de Passione dominica nobis prelegi jubet sacrum Evangelium; sicut enim mundus hos dies optime impensus putat, si gaudiis, si jocis, si choreis et larvis transigatur, ita Ecclesia se maxime lætari his diebus putat, si de Passione et dolore Christi agat, volens filiis suis persuadere, Deo acceptum esse sacrificium, a gaudiis et voluptatibus quasi mundus hisce diebus larga manu dispensat, abstinere et Christi disciplinæ se submittere. S. Paulus Apo-stolus, ad Romanos, xii, 1, 2, scribens, eisdem magna cum sollicitudine, proprii corporis mortificationem et voluptatum mundanorum omnimodam abnegationem inculcare nitebatur, eo quod recrea-tionibus et theatralibus spectaculorum gaudiis aliis-que similibus profanitatibus valde dediti erant. Dicebat enim: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostium viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, et nolite conformari huic sæculo;* quod Hugo Cardinalis interpretatur, addens: « Quia mundus, » caro, demon, diversa movent prælia. » Mundus, hisce diebus, per spectacula, theatra, larvas, pro

viribus nos seducere nititur. Caro autem per con-vivia, ebrietates, commensationes, choreas, tripu-dia, cantus, aliasque similes obscenitates nos extimulare molitur. Quod vero demonem attinet, hoc unicum duxisse sufficit, quod presens bac-chanaliorum tempus, *dæmonum vindemia*, a sacris Scriptoribus appelletur.

b. — Ascendere dicitur in Jerusalem, ut a la-hore ascendendi dulcius sapiat et gloriosius beæ celestis Jerusalem. Mundus enim et labor omnis facile ab eo contemnitur, cujus oculi in celestem patriam jugiter diriguntur, libenterque quavis adversitas sustinetur, dum spe æterna retributio-nis suavis esse videtur. Apostolus, *Rom.*, viii, 18, scribit: *Existimo quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* S. Gregorius, *lib. IX Moral.*, xi, ait: « Si » semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, » quæ incommutabiliter permanent, oculum cor- » dis defigat, prope nihil esse conspiciat quidquid » ad finem currit. » In hymno quodam de SS. Mar-tyribus sancta canit Mater Ecclesia: « Traduntur » igni Martyres et bestiarum dentibus; armata » sævit singulis tortoris insani manns. Nudata » pendunt viscera, sanguis sacratas funditur; sed » permanent immobiles. » Sed unde mira hæc constantia et herolica fortitudo derivatur? Nam forte ab illorum insensibilitate et stupiditate? Ne-ququam, sed solum ex directis, martyrii tempore, in celum oculis: « Sed permanent immobiles vite » perennis gloria, » vel ut alii legunt, « gratia. »

c. — Ascendere dicitur Jerosolymam, sed ad quid? *Et Filius hominis tradetur Principibus Sacer-dotum, et condemnabunt eum morte.* Sic quoque ad celestem patriam non itur, nisi per viam mortis et crucis. Passionum enim et tormentorum libenti animo toleratorum, merita viam ad cœlum com-planant, et facilius efficiunt. Apostolus, II *Timot.*, ii, 12, ait: *Fidelis sermo: Si sustinebimus et conreg-nabimus.* Prius ergo procedere debet patientia in universis, et postea infallibiliter succedet beati illius regni æterna possessio. At vero dicit fortassis aliquis, quod si fideles Dei servi, qui in via divino preceptorum et consiliorum suorum, fideliter et inoffenso pede ambulat, Deo adeo sunt chari, grati et accepti, cur illos tot molestiis, et angustiis, et persecutionibus infestari permittit? Didimus respondit: « Permittit Deus justum a pluribus » affligi, ut illi gloria quæ tribulationum magni- » tudine comparatur, stabilitatis occasionem præ- » beat. » In hac quidem vita Deus nos sudoribus, persecutionibus, paupertate, ignominia et ærumnis exercet; verumtamen in altera vita, his omnibus sceptris, coronæ, throni et immensa gloria cor-respondent; et hæc quidem cito finem habent, meritum vero præmia sine fine durabunt.

d. — Jerosolymam ibat Jesus ibi moriturus e

crudelissima morte damnandus; nihilominus sic alacer et festinus ibat, ut juxta Marci sedulam et accuratam observationem, præiret omnibus discipulis suis, Ast unde tanta alacritas et festinatio in via, cujus finis eruentissimus erat interitus? An mortis tam funestæ acerbitas latebat illum? Absit; imo ab ipso conceptionis momento, ob oculos habeat universa dolorum suorum momenta et fomenta, quæ nullatenus ejus alacritatem minuire potuerunt, nec retardare. Sed cum lætitia et gaudio ascendit in Jerusalem ibi crucem ascensurus. Sal-vator nosler, apud Lucam, xii, 49, 50, mortem suam prædicans, inquit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur?* *Baptismo habeo baptisari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* S. Ambrosius considerat quod tametsi in horto gravi se pressum tristitia demonstravit, hæc tamen percussus non fuerit ex sensu doloris ob passionem imminentem concepti, sed aliunde. En verba ipsius: « Sub tempore mortis, molestiam » pretendebat, quam non ex metu mortis suæ, » sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat, » juxta quod scriptum est: *Et quomodo angor,* » *æsqumdem perficiatur?* Ulique qui usque ad per-fectionem angitur, de perfectione securus est. » Ideo sine dubio, passionem suam in horto, qui locus est amantissimæ et delicarum, exordiri voluit, « quia opprobria delicis sibi esse putabat, » ut ait S. Cyrillus Alexandrinus.

e. — Numquid, ut Apostolus ait, *semel Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo Patri, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu?* Quomodo igitur fidelis mater Ecclesia dominicæ Passionis sacramenta rememorans, hisce bacchanalium diebus dilectis suis membris in futurum, ea prius proponit complenda? Traditum a Judæis, gentibus ab iis flagellatum, illum et denique morte turpissima condemnatum omnis Christianus confitetur, a quo igitur in futu-rum tradendum existimat? Nimirum omnis qui se-cerosius delinquit, maxime pristina delicta iterando, iterum quasi tradit, illud et crucifigit Christum, quia sceleratore flagitio dat novam causam mortis et crucis Christi. Facit enim id propter quod Chris-tus crucifixus est; cujus pretiosa mors, nisi tam efflax fuisset, ut ad omnia omnino peccata, post quantumvis sæcula futura et iteranda se extendisset, oporteret Christum toties mori et crucifigi, quoties peccant homines: sicut Aaronica sacrificia et victimæ toties mactari et offerri debebant, quoties peccabant Judæi. Imo de se poenialis Christum in semetipsis crucifigunt peccatores, quam olim in cruce fuerat crucifixus. Quod S. Augustinus lucu-ler Christum loquentem introducens, *Serm. lxxvii de temp.*, edisserit: « Cur me graviore criminen- » tuorum cruce quam illa in qua quondam pepen- » deram afflixisti? Gravior enim apud me peccato-

rum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, » quam illa, in qua tui miseris mortem tuam » occisurus, ascendi. » Belle igitur ab eodem S. Patre deiciduum peccatum appellatur, eo quod Christum Deum reuocifigere dicitur.

f. — Licet sponte ascendant ardam Jerosolymam viam discipuli, non tamen soli, sed duces et comitem itineris se prebet Jesus, ut adimpleat quod per regium quondam vatem præcinebat, *Psal. xc:* *Cum ipso sum in tribulatione, eripium eum et glorificabo eum.* Unde non ait: Ascenditis vos, sed: *Ascendimus.* Qui sese cum suis simul laborare demonstrat, eisque laborantibus presbo adesse. Sic gaudet Christus in tribulationibus non solum esse spectator, sed et ærumnarum socius. Quia enim tribulatio habet aliquid divini, ideo Christus libenter animas afflictas amplexatur et cum eisdem conversatur. Blossius ita Christum introducit loquentem et conso-lantem tribulatos: « Afflicto hominem ex terrestri » celestem efficit. Afflicto hunc mundum alienum » reddit, et perpetuum adducit meum familiarita- » tem. » S. Basilus Magnus, commentando in ver-sum hunc: *Prope est Dominus, his qui tribulato sunt corde,* finem unum exponit, ob quem Salvator nos-ter dignatus fuit descendere in terram, dicens: « Adventum Domini primum qui venit in carnem, » pronunciat propinquantem jam, nec longe remo- » tum: quod quidem ex simili fere sententia Isaie » credibile tibi fiat. » Equod erit signum illud, quod divinitus innotescere voluit conversando nobis-cum in hac lacrymarum valle? *Spisurus Domini super me, cujus gratia unxit me, evangelizare pauperibus misit me, seminare contritus corde.* Pro consolatione afflictuorum doctrinam hanc nolatu dignam tradit Gerson, cum ait: « Tribulatio animam hominis ad » Deum perducit, et est certior et securior via » Deum adveniendi. » Quamvis devotio sit actus religionis respiciens Deum, nihilominus, minime gradus tribulationis propter amorem Dei tole-rare, pluris estimatur quam quavis fervens devo-tio.

g. — Non dubium est: hic ascensus molestus venit discipulis Christi, non tam propter difficul-tatem itineris quam cordium afflictionem, quam conceperat ex seria relatione dilecti sui Magistri futuro Passionis. Interim sic lætante et gaudiose ascendunt, quod laborem ardui itineris non sentiant, sed necessarium habent hujus admoneri. O alta Dei circa afflictos providentia! An non discipuli vel ex labore ardui ascensus, et sudato laboriose aditus, probe norunt se Jerosolymam ascendere? Quid igitur necesse ut a Christo admonente se ascendere, cum ipse ascensus illi satis admonet? Nimirum se Deus afflictis consolationes et gaudia spiritualia in abundantia comunicat, ut præ gau-dio itineris labores non sentiant. Quanta sanctus Apostolus toto vite sue apostolicæ decursu passus

fuerit, evidens hujus testimonium perhibent, non modo Acta Apostolorum, verum etiam ejusdem Epistolae. Dicit enim, II Cor., xi, 23: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, Ter virgibus caesus sum, etc.* Nihilominus in hisce adversis casibus consiluitur, variis in locis declarat et fatetur quod ejusmodi imperceptibiles calamitates hilari animo et summo cum gaudio sustinere: *Repletus sum gaudio, superabundo gaudio.* Ex revelatione ejusdem Apostoli novimus, ipsum nonnunquam raptum fuisse in caelum, divinorumque secretorum factum participem; non constat tamen quod Deus tunc *praevenit eum in benedictionibus dulcedinis*, neque ipse eo tempore tanto perfusus fuit gaudio, veluti constitutus in extremis calamitatibus. Non dicit: *abundo, sed, superabundo gaudio, in omni tribulatione*; ubi quoque notetur illud, *omni*.

VERSUS 32, 33.

Tradetur enim gentibus, et illudetur, etc.

1. — Lucas Brugensis ex hisce a Salvatore nostro praedictis cunctis tormentis suis, hanc elicit doctrinam: « Dat intelligendum Apostolis, nihil hic fortitum fieri, sed omnia certa et praecordina nata esse a Deo, » moxque utilitates refert ex hac anticipata revelatione provenientes: « Quod quidem vincendae tentationi, consolidandisque moribus animis, optimum fuit remedium. » E quibus verbis, pro praesenti proposito, sequentibus duntaxat utamur, quibus dicitur, quod crux Christi, vel Christus crucifixus sit « vincendae tentationi optimum remedium; » id enim verum esse experiemur utique, si patibulum et Passionem Redemptoris nostri devote, ut decet, speculemur. Certum etenim est, quod clavi crucis soli Christum in cruce non suspenderint, nec sola flagella illum unquam adeo crudeliter dilaniare poterint, nisi simul cum ipsis nostra fuissent conjuncta peccata: *Propter scelus populi mei percussit eum.* Unde tritum illud axioma S. Pauli: *Rursum crucifigentes sibi in seipsum Filium Dei*, quibus verbis de peccatoribus loquitur. Cum igitur peccatores, imo fere totus mundus Filium Dei hoc tempore, majori cum acerbitate peccatis suis crucifigit, quam quovis alio totius anni tempore, ideo ut maledictus hic lascivorum hominum torrens quoad possibile est fieri, retrorsum agatur, « vincendae tentationi optimum remedium » est passio acerbissima et ignominiosissima mors Christi. Unde S. Bernardus, in formula vitae honestae, ait: « meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? » Enimvero quisquis Christiani nomine se compellari gaudet, per viam Christi quoque et ipse ambulare debet, *I Joan., ii, 6: Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare*; at vero, ut optime S. Gregorius, Hom. ii, in Evang.,

advertit: « Diverso itinere ambulat, si gaudia « delectationesque appetit, cui dux suus viam amaritudinis ostendit. » Et ideo S. Bonaventura, Serm. i, in Quinq., omnes Christianos hisce verbis hortatur et monet: « Nos Filium Dei rursus flagellamus per delectationem peccati, quia mitigandus « est ejus dolor, non amplius innovandus. »

Additiones.

a. — *Tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur et conspuetur, etc.* Ubi his diebus, in vanitatibus, et foedis voluptatibus gloriatur fatuus mundus gloriam suam Christus collocat in ignominiosis et passionibus, in sputorum squalore, in verborum plagis, in alapharum vibicibus, in crucis patibulo: et ideo non solum hic, longissimam futurae passionis seriem textit, et repetitis vicibus, ejusdem passionis memoriam agit, sed, et passionis proxima, ipsas passiones, gloriam vocat, *Joan., xviii, 5: Et nunc clarifica me, tu Pater, apud te metipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset.* O arcum patientiae sacramentum! Sic sunt cruciatus gaudio auxiliares? Sic contumeliae gloriis militantes? In passionis officina, sumptuosior excluditur gloria? Audiendus est S. Chrysostomus sic Christum alloquens: « Quid dicis, ad crucem cum latronibus, ac praedonibus ducendus, maledictorumque necem « subiturus, deinde et conspuendus et virgis percussendus es, atque alapis; et ista vocas gloriam? » Utique, inquit, nam pro dilectis, ista patior. » Et ideo pro gloria habeo. Tribulatio enim pignus et arrha electionis est ad gloriam. Equis igitur contumeliosa cruciamenta non reputet empyreae gloriae aemula? « Si enim, » ut citatus ait Chrysostomus, « gloria Christo, non in patrio throno, sed in contumelia reputata est, » nullo magis mihi istud pati, et tribulari pro gloria ducendum est.

b. — Quis ergo tantum scelus ausit, Filium Dei tradere gentibus ad res tam ignominiosas, imo ad ipsam crucis mortem? Certe quod nullus unquam attentare ausus fuisset, id ipsum tamen ausu prosum temerario fecit invidus et invidia Judaeorum, quae contra Christum, usque ad ipsam mortem semper obstinatissima fuit. Vix Redemptor noster, in Bethleem natus fuerat, cum ecce post adventum trium regum orientalium, qui ad praestandum Redemptori servitutis homagium, ductu prodigiosae illius in caelo comparentis stellae, accesserant, Herodes subito praevia invidia quasi crepans, per crucientem illum innocentium stragem, mortem quoque Redemptori machinari statuit, unde Aeternus Pater, ut Filium suum ab ejus furore eriperet, Angelum e caelis ad Josephum destinavit, qui his cum verbis moneret: *Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus et fuge in Egyptum.* Cum enim Herodes invidiae stimulis agitaretur, meliorem censebat esse Filii sui conditionem, inter Aegyptios, implacabiles Dei inimicos,

degere, quam si moraretur intra invidi, fletu et simulati hujus regis barbaras manus. Cum Salvator noster, die quadam, in Nazareth patriam suam venisset in synagogam ingressus est, ut eos doceret: *Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur.* At vero eximiatissime hanc admirationem ex reverentia et respectu ejus fuisse conceptam? Si id creditis, magnopere erratis, ac proinde audite S. Chrysologum, Serm. XLVIII, dicentem: « Evangelista hodie Judaeorum erga Christum « proditurus sic coepit: *Venit, inquit, Jesus in « patriam suam.* Non sic nubes caelum, non sic « nox diem, solem caligo, quomodo mentem caecat « et tenebrat invidia. Livor hoc Judaicus probat, « qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, « attollit dicta, suscipit opera, et tamen ne in ipso « videatur divinitas, deitas sentiatur, carnalium « parentum nomina commonet et divulgat. Mira- « bantur indignatione, non gratia; stupebant livore « non laude. » Etenim sese mutuo aspicientes ad Christi gloriam obscurandam, cum contemptu dicebant: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? Et sorores ejus nonne apud nos sunt? Et scandalizabantur in eum.* Hic autem livor, ad machinandam ei mortem illos prostravit, dum ad eum praecipitandum conabantur, sub praetextu zeli et religionis occultando invidiam, et extrinsecus simulando, ac si eum punirent tanquam blasphematorem. Porro hoc vitium invidiae ut plurimum inter personas domesticas et familiares vigere solet. Unde S. Zeno ita scribit: « Non Aegyptio invidiae det Seytha, aut Britanno Indus aemulatur, sed « unusquisque gentis suae hominibus et contribulibus invidet: non ignotis quibusque, sed vicinis « et proximis, ac familiaribus suis; imo vero his « qui vel artificii ejusdem, vel officii, vel operis « existunt. Armat enim proximas aetates morbus « invidiae, nonnunquam et in propinquo sanguine, « atque inter ipsa saepe fraternae germanitatis jura « grassatur. »

c. — Quod ausit invidia, Filium nempe Dei tradere gentibus ad res tam ignominiosas, imo ad ipsam crucis mortem, id ipsum ausu prosum temerario fecit ambitiosus. Ambitio enim omnium malorum est origo, omnique legi divinae et naturali renunciat. Fecit quoque id ipsum avarus. Pilatus tametsi Christum innocentem declarasset: *Nullam invenio in eo causam*, attamen quando Judaeos audivit clamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, timens provinciae illius amittere administrationem, subvertit justitiam. Similiter quot, quantaeque Hebraismus habuit credende divinitatis Christi conjecturas? Omnes in conciliabulo illo congregati, ultra citroque falebantur dicentes: *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit?* Ubi Chrysostomus ait: « Adhuc hominem appellant,

« cum tale divinitatis ejus testimonium acciperent. » Quoniam vero motivo ad inferendam Christo mortem inducti fuere? Motivo timoris quod regnum suum amittere metuebant: *Venient Romani et tollent focum nostrum, etc.* Salmeron vero dicit: « Duos pessimos consiliarios secuti sunt, nimirum « et ambitionem et avaritiam; timebant enim et « gloriam et quæstum omnem sibi doctrina et « signis Christi peritura, per quos duos consul- « tores, homo in universa vitia et crimina praecipere « prolabitur. »

d. — Non absque mysterio hic sicut et alias multoties Christus Dominus discipulis suis praedixit mortem et Passionem suam: Fecit enim hoc, ut eximius ejus amor, singularitatis ejus benignitas, quae pro nobis tot peritulis, alie esset infixa et impressa in mente discipulorum; et ut tanta ejus charitatis jugis in nobis memoria permaneret, divinum Eucharistiae sacramentum instituit, tanquam sacrae sacratissime passionis memoriae perenne. Et cum magna sacramentum hoc inter, et passionem sit correspondentia, ut igitur ex utroque proficiens benignitas, altius menti infixa remaneat, passionem jugiter meditemur, ut Eucharistiam eo majori fructu percipiamus.

e. — *Et tradet enim gentibus, etc.* Ecce tibi innumera pene lacrymarum et dolorum Christi semina, quam cita consequatur resurrectionis seges. Etenim ait: *Et tertia die resurget.* Post tot Christum vulnera et passiones, non potuit non citissima venire resurrectionis gloria. Et quidem ubicumque apparuerit exaltati Christi labores, fallar nisi etiam ibi resurgens gloria festinarit. Unum enim est quod in nobis Christi gloriae retardat et facit morose appropinquare, nimirum quod Passio ejus non penitus conformamur. Sed age, videamus, quam se conformavit patienti Jesu expressissima figura ejus Isaac. Pleni sunt sanctorum libri hac Isaaci figura: quod, ut Dei Filius, fiat a patre hostia; quod humeris, sacrificii portat ligna; quod montem onustus ligno ascendat; quod super lignorum struem sistatur sacrificandus; quod sese paterno ictu aptet. Quid plura? Non permisit Deus, ut Isaac feriretur, ac interimeretur, ut Jesus interemptus est. Sed cur? Equidem adeo in se exprimebat Passionem Jesu Isaac, ut nisi mors abfuisse, festinatissima tamen resurrectione, tanquam passionis fructus eidem debentem immitti. Sed qui festinatissimam resurrectionem Filio suo reservabat Deus, Isaacum non sinit in mortem cadere. Sic fructus Passionis infallibiliter consequuntur eum qui eidem se nititur conformare. Et ut Passio Christi in nobis fructuosa reddatur, necessum est ut eandem, per opera illi correspondentia, nec non per vitia puritatem imitemur. S. Petrus, I Epist., ii, 21, dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Non enim sufficit

Christum pro nostra salute passum fuisse, nisi nos quoque inde proficiamus, ejusque Passionem nobis applicemus, sequenda nobis a Christo relicto exemplum patendi. Faciebat idipsum S. Paulus Apostolus, dum ad *Coloss.*, i, 4, ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* « Hoc deerat, » inquit S. Thomas, « quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, et similiter in aliis. » S. Bruno ait: « Adimplere se dicit, quia ad mortem vadit. Christus multas passiones habuit, patiendo opprobria, vexationes et flagella, ad ultimam mortem. Sic Paulus opprobria, verbera, multas afflictiones passus erat et ad mortem festinabat, ut sicut Christus pro eo sic ipse moreretur pro Christo. » Errant igitur multi, qui se erga Christi Passionem devotos existimant, sed verbis et desideris, non vero factis ipsis aut operibus. Et ideo compassio illorum duntaxat superficialis est.

VERSUS 34.

Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.

1. — Lyranus hanc intelligendi incapacitatem, imperfectionem ipsorum attribuit, eo quod nondum receperant Spiritum Sanctum, de quo, *Joan.*, xiv, 26, dicit: *Ille nos docebit omnia;* præterquam quod, ex quo Christus cum ipsis parabolice loqui solitus erat, ideo nesciebant, num forte tunc etiam eodem loquendi stylo uteretur. Id quod etiam Albertus Magnus notavit, dicens: « Adhuc autem et carnales erant, et sacramenta Dei ignoraverunt. »

2. — S. Bonaventura, *ibid.*, ideo Apostolos prædicationem Christi non intellexisse existimat, quia eventum illius ipsi nequaquam, ut accideret, permittere volebant: « Cum enim Christum carnaliter diligenter, displicebat eis, quod debebat pro nobis mori. » Et quidem S. Petrus hanc displicentiam satis ostendit, quando se morti Christi opposuit, *Matth.*, xvi, 22, dicens: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc;* adducitque pulchrum quoddam Bedæ testimonium, cujus hæc sunt ipsissima verba: « Discipuli, sermonem dominice Passionis toties replicatum ideo intelligere non valent, quia quem maxime vivere desiderant, ejus mortem audire non possunt; et quem non solum hominem innocentem, sed verum Deum sciunt, mori posse non putant; et quoties dicit aliquid de sua Passione, hoc allegorice dictum putant: ex quo apparet cæcitas cordis humani, quæ mysteria redemptionis suæ non intelligit, nisi Deus tanquam cæco lumen ostendat suæ lucis, et reddat contentum veritatis, ideo recte sequitur miraculum de illuminatione cæci, in quo intelligitur illuminatio generis humani. »

3. — Idem Seraphicus Doctor dicit, quod Apostoli in hac sua ignorantia « gerunt figuram ignorantium Prælatorum, qui ignorant documentum Scripturarum. »

4. — Lyranus moralitatem quandam tangit, quæ presentii temporis, in quo hoc legitur Evangelium, adaptari haud incongrue potest. Dicit igitur: « Per hoc significatur, quod homines carnales aspera nolunt audire, sed ad delectabilia sunt intenti. »

Additio.

a. — *Et ipsi nihil intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis.* Multoties Christus de sua morte et Passione sermonem habuit cum suis discipulis. S. Matheus, post Petri confessionem, xvi, 21, subdit quod Jesus dixit discipulis suis: Quia oportet cum ire in Jerusalem et multa pati a senioribus, a scribis et principibus sacerdotum, et occidi et tertia die resurgere. Petrus autem quia intellexit, cepit eum increpare: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* *Item Matth.*, xvii, 21, legitur: *Conversantibus eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occidetur eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Illos contristatos ex hujusmodi sermone Matheus fatetur. S. Lucas ideo ingenio obtusos affirmare audeat, ut velut rudes nihil intellexisse putet. Scilicet nesciebant, quantum gloriam et honorem Christus Deus abscondisset et repositisset sub ærumnis et calamitatibus. Sub his enim summam Deum gloriam recondidit. Summa gloria hominis est, quod per merita tribulationis patienter toleratæ, infinitam Dei majestatem, quam adorant Dominationes, tremunt Potestates, glorificare possit. *In die tribulationis,* ait Deus per Psalmistam, *Ps.* xlix, 15, *honorificabis me.* Petierant Apostoli a celesti suo Magistro rationem hominis illius a nativitate cæci: *Rubbi quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestetur operum Dei in illo.* *Joan.*, ix, 2. Per sufferentiam cæci hujus in tribulatione sua habitam, glorificabatur Deus non minus quam si propter rerum omnium tum visibilibus, tum invisibilibus creationem fuisset laudatus. « Discimus hinc mala pœnæ a Deo infligi « quandoquidem ad manifestandum gloriam ipsius « Dei, » ait Cajetanus, Gerson, in opere cui titulus: *Sex magistri de tribulatione loquentes,* scribit: « Si quicquam esset nobilior et conducibilior humanæ creaturæ in hac vita viventi, quam tribulatio, « Deus hoc ipsum Filio suo dedisset. Ideo dedit ei « plus patientium in hac vita, quam unquam dedit « creaturæ, nec dabit unquam. »

S. Chrysostomus, *Hom.* viii ad *Ephes.*, inquit: « Si quis Christum diligit, is novit hanc dignitatem, « hanc intelligit virtutem; agnoscit quantum sit « illud, quod humano generi largitus est Deus,

« nimirum ligari pro eo. Illud forsitan illustrius « etiam est quam sedere ad dexteram ipsius, « honestius quam sedere super duodecim thro- « nas. »

VERSUS 35.

Factum est autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam medicans.

Factum est autem cum appropinquaret Jericho.

1. — Hic Christi et cæci concursus non sine divine sapientiæ directione accidit: « Ne incessus « Domini esset otiosus, » inquit Jansenius, « sed « ubique etiam in via beneficiæ ei occasio tri- « bueretur, suoque exemplo doceret, ut in omnibus « et semper simul proficui, et nunquam ignavi. »

2. — Advertendum est autem, Dominum nullam in Jericho moram traxisse, sed trans civilem illam Jerusalem contendisse. Unde Origenes, in *Matth.*, moralem hanc elicit doctrinam, dicens: « Per Jeri- « cho intelligitur mundus: mundum et mundana « omnia contemnentes, Christo duce, ascendunt in « Jerusalem cœlestem. »

3. — Hugo Cardinalis in sensu allegorico ita scribit: « Jesus autem venit Jericho, quando Chris- « tus factus est homo, et tunc cæcus illuminatus « est, quia genus humanum fidei agnitionem rece- « pit. »

4. — Observandum quoque hoc loco est, quod Christi Jericho approximans, civitati nimirum, quæ mundi figura erat, quæque ipsomet suo nomine defectum præ se ferebat, ut cæco illi subveniret, docere nos voluerit, « Prælatum descendere usque « ad defectus, et miseria sustinendas pro salute « infirmorum. »

Cæcus quidam.

5. — S. Marcus, *Marc.*, x, 46, nomen cæci hujus specificat: *Filius Timæi Bartimæi cæcus.* S. Augustinus illum quondam honorum fortunæ prosperitate affatim cumulatum fuisse existimat: « Ex aliqua « magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseriæ fuit. »

6. — Idem Augustinus in textu S. Matthei Evangelistæ fundatus, se credidisse ostendit, duos fuisse cæcos in Jericho illuminatos, tametsi tam S. Lucas quam S. Marcus unius duntaxat mentionem faciant: « Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemo- « rare Marcus, ejus illuminatio tam claræ « famam huic miraculo comparavit quam erat illius « nota calamitas. » Ex eo tamen, quod Hugo Cardinalis hæc de re scribit, satis clare dici posse videtur, unum horum cæcorum in civitate Jericho ingressu, duos vero in egressu ejusdem illuminatos fuisse; ita enim scribit: « Hoc autem notabile est, « quod Dominus in introitu Jericho, unum solum « sanavit, in exitu vero duos: quia plures post

« ascensionem et egressum a mundo sanavit, quam « ante. »

7. — S. Bonaventura in hoc afflicto cæco, miserabilem quandam mendicitatem agnoscit: « Simul « indigebat pane et luce, quo omnibus communiter « se offert; » notatque in eodem cæco denotatum fuisse genus humanum, quod « cæcum erat per « carentiam lucis sapientiæ, et mendicans per de- « fectum gratiæ et justitiæ; » de quo etiam nos libere dicere posse asserit: « Nescis, quia tu es mi- « ser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus; « excæcatus est autem genus humanum per cupi- « ditatem temporalem. » Glossa vero modum declarat, quo genus humanum illuminatum fuit, quæ tamen cæcitate ejus alteri defectui adscripti: « A superna charitate exclusum, damnationis suæ « patitur tenebras; dum ergo verbum Dei infirmi- « tatem nostræ carnis suscepit, homo ad cogno- « scendum redit. »

8. — Albertus Magnus varia cæcitatium genera ex diversis indispositionibus provenientia distinguit, quarum una apte convenit cæcitati, quæ in hominibus mundanis hisce diebus cernitur: « A causa « interiori, quando humor aliquis a corpore vaporat « ad caput, vel a capite distillat in oculo, et ru- « bens, et sanguine malo infectus efficitur oculus et « amittit visum. » Hanc autem cæcitate illis præcipue applicat, qui se voluptatibus carnis totaliter mancipiant: « Significant quos peccata carnis et « sanguinis excæcant in corde, ne recta et vera « considerare possint; » adducitque illud ex Danielis *cap.* xiii exemplum, de duobus illis senioribus lascivis, qui ab honestissimæ Susannæ pulchritudine fuerunt excæcati: « Species deceptit te, et concupis- « centia subvertit cor tuum; perverterunt sensum « sum, et declinaverunt oculos suos, ut non vide- « rent celum, neque recordarentur iudiciorum « istorum. »

Sedebat.

9. — Glossa ait: « Cæcus sedet juxta viam, cum « incipit credere in ipsum qui dicit: *Ego sum via,* « veritas et vita. »

10. — Albertus Magnus, *ibid.*, ait: « In tenebris « licet fuerit, tamen sedens, et a peccato quiescens « non impingit; » quasi diceret eo ipso quo cæcus hic sedebat, non erat tot lapsus periculis subiectus, sicut fuisset, si cæcus existens ambulasset, sic enim ad quemlibet gressum impingere poterat. « Significat eos, qui ulterius peccatis non indulgent, « et in tristitia sunt suarum tenebrarum; » qui cum S. Tobia, v, 12, lamentari possunt, dicentes: *Quale quidam est mihi, qui in tenebris sedeo, et tamen cæci non video?* ac proinde idem sacer Doctor subdit, eundem Tobiam dignum reputatum fuisse, qui a Raphaelæ Archangelo consolationem acciperet.

Secus viam mendicans.

11. — Enimvero optimum signum est, quando is, qui a via recta deviauit, iuxta eam vicinus consistit, ut se in eandem denno recipere possit. Unde idem Albertus Magnus ait: « Quod secus viam non a longe sedit, quia lumini et preceptis Dei appropinquavit, quasi diceret illud, *Job*, xxxviii, 24: « *Indica mihi, per quam viam spargitur lux.* »

Additiones.

a. — *Factum est autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.* Cæcus hic, ut notat Hugo Cardinalis, fuit Bartimæus de quo Macius, *cap. x.* Bartimæus autem idem quod filius floridi seu divitis alienigenus significat. Sed si fuerit floridus et dives, quomodo in via mendicet? Nil hoc vobis miri, nam nullus pauperior divite est. Semper avarus eget. Unde D. Augustinus, *Serm. v. de Verb. Dom.* divitem avarum his verbis affatur: « Et habes et concupiscis; et plenus es et sitis; « morbus est, non opulencia. » Ad quod probandum opportune servit celebris ille D. Chrysostomi locus, *Hom. lxxv in Matth.*, qui postquam considerasset quod juvenis ille, qui Christi scholæ se adungere cupiebat, auditio Salvatoris de vendendis possessionibus suis suggesto consilio, abiit tristis, demum subjungit dicens: « Nunquam magna voce predicare cessabo, accessione pecuniarum cupiditate habendi, magis atque magis adeo inflammari, ut rerum copia crescente pauperlas quoque augeatur. Nam qui majori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. »

b. — D. Gregorius, *Hom. iii in Evang.*, ait: « Cæcus est genus humanum, quod in parente primo, a Paradisi gaudiis expulsum, claritatem superæ lucis ignoratus, damnationis suæ tenebras patitur. » Nam dum homo per peccatum inobediencie divinæ lucis usuram respuit et aspernatur, densissimas tenebras et cæcitatem super universos homines inducit; peccata enim summa cæcitas et tenebræ sunt.

c. — Incurabilis corporalis cæcitas infirmitas in extremam sepe hominem miseriam, et perditionem conjicit, dum gressus formare volentem, aut in palos alidit, aut in foveas altas precipitat; qui dum hujusmodi allisionibus, et casibus assuetus, cum nihilo securus incedere pergit et tentat, cum cæcitate vitam perdere festinat. Anne hic evangelicus cæcus peccatoris in peccatis obdurati et assueti typus erit, qui longævo vitiorum circuitu, vilis suis obsecratus, tandem in profundum malæ conscientie desperationis, atque æternæ damnationis corrui. *Impius dum in profundum venerit, contemnit. Prov.*, xviii, 3.

d. — Ecce vobis cæcum hominem, secus viam positum, mendicantem a transeuntibus vite subsi-

dium; quo nulla clarior effigies inveniri potest hominis ejusdemque positi in hujus vite via. At non mendicant omnes homines? Voluptates, divitias, honores universi ambiunt; a cibo, a pecunia, a spectaculo, ab agro, ab ædibus, a veste, a tecto, a mercatura, a potentiori, a mari, a terra, a celo, a ventis subsidium petunt. Nulla est dies, qua non mendicet a creatura miserimus homo; et cum tantopere egeat, quid tandem accipiat infelix; idem non sentit, quippe qui et mendicus et cæcus sit. Accipit mendicus cæcus, et que accipiat nescit; que putat munera, ludibria sepe sunt et unde capere multum credit, vacuum remanere contingit. Cum nox venerit, vite presentis die peracta, quid honorum congresserit ignorat: es aut aurum, argentumve sit, quod habet discernere non potest. Et cum ad examen ventum est, quantum stipis colligit, clamore multo, id vix ad tertium pervenire patet et longe plura ludibria inveniuntur quam dona.

e. — Jansenius, in hoc cæco, peccatorem lumine et notitia Dei destitutum, intelligendum esse dicit, docetque simul modum, quo illuminari possit. « Hic, » inquit, « si visum est recepturum imprimis quidem necesse est, ut juxta viam sedeat mendicans, hoc est ut cæcitate cordis sui, et inopiam agnoscentes, alienam opem imploret. » Ratio est quia nemo potest a peccato resurgere, nisi Deum invocet, ut manum ei prebeat auxiliatricem: *Ex te perditio tua; tantummodo in me auxilium tuum*, dicit Dominus, *Ose.*, xiii, 9. Opus quoque est ut mendicantem nostram et inopiam quoque agnoscamus, quia Dei beneficentia *esurientes implet bonis, divites dimittit inanes*. Post hanc vero agnitionem, « ita fiet, » dicit iterum Jansenius, « ut Jesus incipiat transire juxta eum. Transit autem quandoquomque nomen ipsius, et doctrinæ palam predicatione et internis suis inspirationibus, cor hominis visitat; id cum fit, peccator sanitatis avidus, ubi sentit adesse Jesum, non debet sinere elabi presentem occasionem, sed constanti clamore fatigare ejus aures, nec desistere, etiãsi turba multa suadeat silentium, sed eo instantius illum invocare. » Quid vero nunc hæc omnia sibi volunt? Nisi quod misericordia Dei, quæ semper est ad recipiendum peccatorem parata, cooperantem correspondentem in peccatoribus requirat penitentiam. Quam divinam cooperandi, misericordie obligationem, nobis inculcare nititur D. Chrysostomus, quando, *Hom. ii in Psal.*, i, illa Psalmistæ interpretans verba: *Amplius lava me ab iniquitate mea*, ita sermoinatur: « Dei misericordia tanta est, ut nulla oratione expli-car, nulla cogitatione comprehendi possit, mentemque omnem excedat, ac rationem superet. Verum etiãsi ea talis sit, partes tamen etiam nostras desiderat. Attende quid dicam. Deus misericordiam impendit, at non id simpliciter; verum ait: Da tu quoque aliquid. Verbi gratia:

« Infinitis peccatorum sarcinis premeris, delicta multa habes, ea lavare volo; manum tu quoque porrigere, non quod ego te opus habeam, sed quia te etiam ad tuam salutem erogare volo et quoniam pacto dicam. Latro ille salutem est consecutus, ac tot peccata dissolvit, nimirum non per misericordiam solum, sed etiam per suam fidem. Quid enim ait: *Memento mei*, inquit, *dum veneris in regnum tuum*. Quidnam Deus ad ipsius salutem contulit? Peccatorum solutionem. Quid dabo? Fidem. Qualem? Magnam, sublimem, ad cœlum usque pertingentem. »

f. — Ex supra dictis iterum hæc sequitur conclusio: Quia misericordia Dei a divino ejus pendet beneficiatio, non autem ab hominis voluntate eam sibi oblatam peccator non respicere, quia infallibiliter decipietur, si semper eam juxta beneficiatum suum sibi affuturam spondeat. Venerabilis Beda, super illa verba S. Pauli, *Rom.*, ii, 4: *An divitiis bonitatis ejus et patientie, et longanimitatis contemnis?* ita scribit: « Sperando decipitur, qui dicit: « Bonus est Deus; faciam quod mihi placet. Laxam habenas cupiditatis meis; impleam desideria anime mee. Quare hoc? Quia misericors est Deus, bonus est Deus. Spe isti periclitantur. Metuendum est ne te occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in judicium. » S. Augustinus, in *Psal.* xxxi, ait: « Deus justus, cui cantatur misericordia et judicium non sola misericordia et judicium, invenit hominem male præsumentem, et ad interitum suum misericordia Dei abutentem, et necesse est ut damnetur. »

VERSUS 36.

Et cum audiret turba prætereuntem, interrogabat quid hoc esset?

1. — Lucas Brugensis dicit, cæcum hunc pedum strepitum, nec non copiosæ multitudinis murmur et tumultum audivisse, ideoque curiosius inquisivisse, quidnam hoc esset, seu quidnam tantus populus simul congregatus denotaret. S. Bonaventura ait: « Turba ista transiens est decursus creaturæ rum, que interrogat aliquo modo manducant nos ad Salvatorem propter quod *Job* ait: *Interroga juvenem et docebunt te, et volatilia cæli et incedentibus tibi; loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt tibi pisces maris; quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* »

2. — Utique hodie non cæci alienigenus, sed animæ ejusdem valde illuminate, Deique hodie multis injuriis affecti honorem zelantis, interrogatio censenda foret, si quis hodie diceret: *Quid est hoc?* id est, quo fine per omnia urbis platearum compita adduntur larvatorum clamores, vicinorum risus, cantus, turbarum clangores, hastiludorum et chororum strepitus, comædiarum apparatus? Cui

aliter responderi non posset, quam ideo hæc omnia fieri et passim permitti, quia præ foribus adest quadragesima, in qua unicuique faciendæ est penitentia, eaque de causa modo omnibus dissolutionibus ac recreationibus liberrime fræna laxantur. Sed vere hæc est a vero cæco, id est, ab homine, lumine et notitia Dei destituito, prolata responsio. Nam ut præclare S. Basilii, *Hom. ii de laud. jejum.*, ait: « Non est per temulentiam aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam iter est per defraudationem, nec ad sobrietatem per lasciviam, nec ut summam dicam, per malitiam ad virtutem. Nemo uxorem legitime ductus ante scorta et concubinas inducit in ædes. » *Dixerunt autem et quod Jesus Nazareus transiret.* Porro ad coerendum mundi, in hisce bacchanalibus stultescens, præcipitem cursum, potentius adhiberi frenum non posset, quam si oculus hominum in Redemptorem in patibulo crucis mortuum, titilique inscriptionem cruci superimpositam, scilicet *Jesus Nazareus*, etc., defixus teneretur. Unde S. Bernardus illum propter peccata nostra sævissima passum, et *atritum propter scelera nostra* repræsentans, exclamat: « Et hæc innumens, qui dicitur Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere nullatenus erubescit. »

3. — Theophylactus vocabulum *transiret* observat, et dicit: « Dominus miraculum hoc cæci obiter in via operatus est, ut et transitus ejus nobis utilis esset, ac doctrina; ut semper et ubique, et apud omnes utilis simus. »

Additio.

a. — *Et cum audiret turba prætereuntem, interrogabat quid hoc esset? Quid turba hæc præteriens nobis melius designare poterit, quam mundum cum bonis suis? Præterit enim figura hujus mundi, suntque bona ejus tantum veluti scenæ quædam et imagines bonorum, nec unquam subsistent. Doctorigentium utpote in cœlorum academia edocto, et promoti, non deerant utique multa alia epitheta quibus mundi exprimeret vanitatem, et tamen his verbis uti voluit: *Præterit figura hujus mundi*, utpote ad eam exprimentam convenientissimam, ut considerat Theophylactus, in *I ad Cor.*, vii, 31, dicens: « *Figuram* appellavit, commonefaciens omnes hujus mundi res oculos tantum attingere, ac oculorum pabulum esse, ac superficiem quamdam « fluxum. » Seneca rerum illarum que oculos et cor nostrum vel maxime alliciunt et ad se trahunt, falsitatem his verbis insinuat: « *Miramur parietes tenni marmore inductas, cum sciamus quale sit absconditum; et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacium gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda signa labitare... Magnam pecuniam habet: hominem istum judicæ? area est. Quis ærario, plenis loculis invidet? Et iste**

« quem Dominum pecunie astimas, pecunie locutus es. Multum habet: utrum avarus aut prodigus est? Si avarus, non habet; si prodigus, non habet. Iste quomodo beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat: « Hoc Paulus, cum admiraretur, dicebat: « Quare non erubescit Deus vocari Dens ipsorum? « Non erubescit, inquit, Dominus a servis appellatorem sumere. Siquidem Deus communi nomine appellatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, quare non erubescit? dic' rationem nimirum ut nos imitemur: Quia hospites inquit erant et advenæ; sed ita hospites quod orbem universum despicerent et parvi facientes terram, ad celestem illam patriam respiciebant. » Quamnam Saluator noster a mortuis resurgens et gloria præcinctus vestis formam velati immortalitatis sue symbolum et indicem sibi assumpsit? Nemo est qui nesciat illum confestim in peregrini habitu discipulis apparuisse. Legitur, *Luc.*, xxiv, 18: *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Quodnam in eo mysterium latere existimatis, quod glorioso in corpore resurgens, hoc potius quam alio habitu indutus comparere voluerit? Haymo Halberstadtensis ait: « In peregrini specie apparuit, ut nos qui membra ejus sumus, in hac vita peregrinos et advenos, « nos esse sentiamus. » Hugo Cardinalis ita scribit: « Post resurrectionem peregrinus apparuit, et in forma peregrini, quasi dicit: Solis peregrinis « apparebo in gloria; » id est, iis qui in hac vita esse valiores agnoscentibus, peregrini more vitam duxerint.

VERSUS 38.

Et clamavit dicens: Jesu, fili David, miserere mei.

Et clamavit dicens: Jesu, etc.

1. — Jansenius, *ib.*, c. cv *Concord.*, optime considerat, quod pauperulus hic cæcus, seposita spe, quam habere poterat, insignem quandam accipiendi eleemosynam ab ingenti hac multitudine, maxime cum de hac, utpote Salvatorem sequente, præsumere posset, eam operibus pietatis ei impendendis valde deditam esse, « ad solum Jesum conversus, concepta fiducia ex his, « que de illo aliquando audiverat, clamabat, dicens: *Jesu, etc.*, » omnibus numerosi illius populi hominibus seorsim relictis, supplicationem suam ad solum Christum convertit, linguam suam solum erga ipsum laxat, summique cor et spem omnem in ipsum dirigit, et merito, quia est, ut dicit Apostolus, *II Cor.*, iii, 4: *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra;* idque tanto magis, quia illud S. Davidis, *Ps.* cxv, 3, monuit: *Notite confidere in filiis hominum, in quibus non est salus, verissimum esse, sæpe fuerat expertus.*

Fili David.

2. — Jansenius dicit: « Oratio magnæ fidei in dux et plane Christo digna, qua et *Matth.*, ix, alii duo cæci visum impetraverunt, et mulier Chananea filiam sanitatem. » Hebræi enim Messiam ex progenie Davidis nasciturum esse optime sciebant; et ideo hæc brevis cæci supplicatio, oratio quædam est jaculatoria, que ad postulandam et impetrandam peccatorum nostrorum veniam, magnam in se efficaciam habet, eo quod ipsemet Deus protestatus fuerit, divinam ejus justitiam etiam integræ cuidam civili, propter Davidis merita, peccatorum veniam et misericordiam postulanti libenter parituram esse: *Super regem urbem hanc propter David servum tuum.* *IV Reg.*, xx, 6.

3. — Valde etiam considerabilis est stylus et modus, quem cæcus iste in formanda supplicatione sua servavit: *Jesu, miserere mei.* Neque enim directe visum sibi restitui petit, sed quia an id sibi expediens futurum esset, ignorabat, id Christus plane remisit, quem verum Deum esse agnoscebat, qui proinde *seratur venes et corda, et alta a longe cognoscit*, ut antea Christus desiderium ejus exploraret, quod ei præ modestia manifestare non presumebat, illud per interrogationem suam elicere voluit. *Salmeron, tom. VI, tr. xv, ait:* « Petit misericordiam, agnoscens suam miseriam, et solus Dei est gratis misereri, quia homo qui miseretur alterius, ad usuram donat. *Veneratur Domino, inquit Salomon, qui miseretur pauperis et vicissitudinem reddet ei.* Et certe huic optime quadrat Christi sententia: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* »

4. — Auctor Operis Imperfecti, *Hom.* xxxix, qui duos cæcos fuisse, et non unum existimavit, ad verba illorum, quibus illum, juxta Davidis factum vaticinium: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Filium Dei et verum Messiam esse confitebantur, se reflectens, exclamat:* « O acutissimus cæcitatibus aspectus, quia quanti homines sani, et juxta Jesum, qui via est, ambulantes, hominem illum putabant, et duo cæci longe sedentes, Deum prospexerunt. »

VERSUS 39.

Et qui præbant, increpabant eum, ut taceret, ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.

Et qui præbant, increpabant eum, ut taceret.

1. — Salmeron varias hujus increpationis causas distinguit; vel enim illi, qui præcedebat, Christi inimici, cujus contrarii erant et tunc verisimile est, ideo illos hunc cæcum increpassse, quia ei Messie titulum attribuebat; vel, quod verisimilius est, hi increpantes de schola ipsius erant et tunc causa

reprehendendi eum hæc fuit, quia nimirum vocem suam adeo extollebat, ut impedimento ipsis esset, quo minus Christum loquentem, de quo S. Petrus dixit: *Verba vite æternæ habes, audire et audirentur possent;* vel etiam ipsi obstabant, eo quod cantilenam istam Christo acceptam esse minime crederent, eo quod ei non responderet, prout etiam alias Chananeæ accidit; vel etiam ideo ipsi increparunt, quia ideo ipsum elata voce clamare crediderunt, ut aliquam ab eo eleemosynam exposceret, ideoque Salvatorem ab ejus importunitate eximere volebant. Ita Salmeron, qui ulterius subjungit: « In aula principum, quando pauper petit eleemosynam, vel justitiam, omnes obstrepunt, omnes increpant et impediunt. » Etenim mundus hunc cum pauperibus stylium tenet, illos a se repellit, illos increpat et audire detrahet, non vero sibi benignissimum Redemptor noster, qui subito sistit gressum, interrogat, petit quid velit, coram se istum adduci jubet et cum omnes alii illum contemnerent, ipse solus, magna cum serenitate vultus, eum recepit: *Tibi derelictus est pauper, orphanum tu eris adiutor, oculi ejus in pauperem respiciant;* misericordie enim tribulatorum et afflictorum orationes, suavissimam in auribus Dei melodiam faciunt.

2. — Auctor Imperfecti, *Hom.* xxx, dicit: « Videbant sordidas vestes et non considerabant conscientie claritatem, indignum eis videbatur, ut tales homines vociferarentur ad eum; ecce facta sapientia hominum: existimabant injuriam pati magnos viros, si a pauperibus honorarentur. »

3. — Didacus Stella illum non corporalem tantum lucem, sed et spiritualem pariter postulasse existimat, maxime cum illum Filium Dei esset confessus et tanquam talem veneratus fuerit: « Quam obrem mundus et diaboli in eum insurgunt, hæc est una de astutiis diaboli, suffocare bonum semen in germine. » Eadem quoque Jansenii opinio, qui proinde dicit: « Strepunt, quotquot peccatorem in suis vitiis retinere student; reclamant conscientia non una voce, sed tot vocibus, quot admissorum sibi conscius est animus; suffocare nititur plantæ desiderium et orationem turba carnalium phantasmatum et cogitationum. »

4. — Augustinus, *Ser. xviii de ver. Dom.*, dicit, multos in conversionis suæ exordio in similes oppositiones et contradictiones incidere. « Bonos Christianos, » inquit, « volentes facere præcepta Dei, Christiani mali et tepidi prohibent, clamant tamen illi non deficientes; cum enim quisque Christianus coperit bene vivere, mundumque continere, patitur reprehensores, frigidus Christianos, sed si perseveraverit, jam obsequuntur, qui antea prohibebant. »

Ipsæ vero multo magis clamabat.

5. — Jansenius legit: *Quo magis turba obstrepe-*

VERSUS 37.

Dixerunt autem ei quod Jesus Nazareus transiret.

Additio.

a. — *Et dixerunt quod Jesus Nazareus transiret.* Transibat Jesus utpote viator, et utinam nos hanc vitam cum Jesu transiremus, jugiter cogitantes nos esse viatores et quod vita præsens peregrinationi similis existat. S. Petrus qui omnium aliorum Apostolorum nomine Salvatori dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia, fidelibus in principio nascentis Ecclesie, insignem quandam traditur doctrinam, observavit illos, ut se advenas et peregrinos in hoc mundo esse arbitrentur: *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere, etc.* *I Petr.*, ii, 11. Ubi Glossa ait: « Eo minus animum terrenis rebus superponite, quo vos patriam in cælis habere meministis. » S. Paulus in Epistola ad Hebræos, xi, 23, de sanctis Veteris Testamenti*

bat, tanto vehementius cæcus exclamabat. Unde S. Bonaventura colligit, quod ad hoc, ut desideratas gratias a Deo per orationem consequamur, sancta quadam opus sit importunitate: « In quo explicatur « importunitas cæci orantis et dantis nobis exem- « plum orandi, quærit enim, petit et pulsat. » Observat Jansenius, orationem hanc cæci, viræ cui- dam fidei associatam fuisse, credebatur enim, quod ipsum a sua posset cæcitate curare, dummodo id facere placeret, ideoque non nisi misericordiam ipsius imploravit: « Christo plane dignam dixi « hanc orationem, non solum ob ejus brevitem, « sed etiam quod utramque ejus naturam indicet; « humanam, cum dicitur *Filius David*; divinam, « cum dicitur, *miserere mei*. » Didacus Stella nos monet, ut ex hoc cæci orantis exemplo, discamus in oratione perseverare, nec ab ea desistere, quod- cumque etiam nobis opponatur obstaculum: « Dicitur « ex hoc loco in bono incepto perseverare, nec a « virtute deficere, ob illas sæculi perturbationes, « quæ multæ statim opponuntur illis, qui viam « inveniunt salutis. » Enimvero satis est verisimile, Christum a principio, tametsi adhuc ab hoc cæco remoto esset, ejus tamen voces percepisse: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua, Psal. x, 17*, nihilominus se illum audire dissimulasse, ut tanto magis perseveraret et efflueret. Unde Theophylactus ait: « Pervor quidam intrinsecus « excusulabat eum, idcirco et Jesus jussit illum « adduci ad se, quod profecto dignus esset, qui « appropriaret ei; » et consequenter ut illuminaretur, juxta illud Prophete, *Psal. xxxiii, 6*, invitatio- rum: *Accedite ad eum et illuminamini*.

6. — S. Thomas cæci hujus inter tot oburgationes perseverantiam admirans, in *Matth.*, ait: « Novit fide omnibus repugnare et omnia trium- « phare, utile enim est pro cultu divino pudorem « deponere. » Quot sunt, qui hisce diebus larvis faciem suam obducunt, ut tanto liberalius carni indulgere possint? Quænam in eo est difficultas, quod Christianus aliquis, qui verus est Christi discipulus et sectator, vultum suum modico verecundie rubore obtegat, dum ab aliis sodalibus, vel aliis discipulis hominibus digito monstratur et illud- rit, eo quod se a male sano mundi torrente hisce diebus sequestret?

7. — Lucas Brugensis super hoc cæci clamore, aliam quandam considerationem instituit, dum ait: « Observa vigilantiam hujus, quod simul ac audi- « veri adventantem turbam, sine mora clamaverit, « ne forte elaberetur Jesus Jericho; » nimirum occasione perdere volebat et ideo clamore sibi subveniebat, ut Christum ad sui compassionem per- moveret et ne Jericho sine lata ipsi ope præteriret.

8. — Enimvero quanto tumultuosior est bacchanalium stropilus et quanto amplius in iis iniquitates in contumeliam et injuriam Dei inundant, tanto

magis veri servi Dei, qui majori sunt lumine et ratione dotati, hisce diebus in orationibus efferves- cunt. In vita B. Liduvine virginis refertur, quod cum ipsa, velut alter quidam Job, toto corpore san- cta et ulceribus plena esset, strepitus quosdam enormiores in platea suscitatos audiens, interroga- rit, quidnam illi significarent, cum illi respondum fuisset, eos ab aliquibus bacchanalia sua agentibus excitari, ipsa honorem Dei zelans, eundem precata fuerit, ut ad satisfaciendum aliqua parte pro eorumdem hominum offensis, quas tunc committe- bant, penosissimam aliquam corpori suo infirmitatem immitteret, quam gratiam Dominus ei quoque concessit, siquidem atrocissimis eam spasms corripi fecit, qui usque ad Pascha duraverunt. Similiter S. Catharina Senensis in ipso bacchanalium summo flore, nimirum in feria V ante Dominicam Quin- quagesimæ, Christo desponsata fuit, idque quia illis diebus in cella sua reclusa sese jejuniis asperimissis, assiduis vigiliis et orationibus, multisque aliis austeri- tibus macerando, mortificaverat. Ratio autem, quam celestis Sponsus ejus ei reddidit, ob quam glorioso hoc sponsalio eam dignatus fuisset, hæc fuit: « Quia tu, o delicta filia, mundi vanitatibus « hodie contemptis, me summum et æternum « bonum duntaxat, quævisisti, spretisque volupta- « tibus carnis, cordis tui voluptates in me solo « posuisti; idque non obstante, quod alii domus « tue familiares hodie convivisti simul et recrea- « tionibus vacent, ideo hoc eodem die festum spon- « salitii, anime tue totum inire et celebrare de- « crevi. »

Adiciones.

a. — *Et qui præbant increpant eum ut taceret; ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei.* Venerabilis Beda, per turbam, quæ Jesum venientem præcedebat, dicit significari tumultus carnalium voluptatum et desideriorum, quæ dissi- pant cogitationes hominis et perturbant vocem ora- tionis, ne Jesus veniat ad illuminandum cor homi- nis et ad exaudiendum nostras preces. Vitium enim carnis a Deo nos separat, nec non omni vero spi- ritu et devotione nos privat. Creator noster, ut sacer chronista scribit: *Vidit cuncta quæ fecerat et erant valde bona.* Et quidem tametsi post produc- tum ex nihilo universum præcipue vero hominem, cunctas quæ a sapientissima et potentissima illius dextera emanarant, creaturas approbati in iisque mire sibi complacuerit, nihilominus paulo post ipse dixisse, *Gen., vi, 3, 7: Non permanebit spiritus meus in homine... Penitet enim me fecisse eos.* Cujus rationem mox reddidit, sequentibus verbis, dum subjungit: *Quia caro est.* S. Ambrosius ait: « *Non permanebit, inquit Deus, spiritus meus in « hominibus, quia carnes sunt; quo ostendit Deus « quia carnali immunditia, gravioris labæ peccati, « gratia spiritualis avertitur.* » Tritum est illud

axioma Apostoli, *Gal., v, 17*, dicentis: *Caro concu- piscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Et ideo si in hoc conflictu, caro prævaleat, conse- quens est ut spiritus in fugam mittatur, utpote qui cum hoc carnis vitio omnino sit incompatibilis. Unde idem Apostolus ad Galatas, *iv, 17*, scribit: *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc.* Ubi per Ismael caro significabatur, per Isaac spiritus, per Saram virtus quam illa secum compati nequit. S. Thomas de Villanova, *Serm. de Pentec.*, inquit: « Si quis illecebrosus turpitudinibus « sordidatur, in hunc spiritus Dei non intrat, quo- « niam puritatis amator est. » Et S. Gregorius: « Cum luxuria semel mentem invaserit, nullam « bonum cogitare permittit. »

b. — Cum hic cæcus clamaret: *Miserere mei*, incipiebat jam toto corde converti ad Deum, ejusque veram fidem profiteri, Jesumque verum Deum pro- clamare; statimque turbæ seu impii homines, in eum insurgunt, ipsum increpant, et tanquam magui criminis reum objurgant. Hic enim mos est sæculi: cum homo se ad Deum convertit, statim mundi contradictiones patitur ac sustinet. In libro Numero- rum, *viii, 24*, Levitis dicitur: *Hæc est lex Levita- rum: a viginti quinque annis et supra, ingredientur, ut ministrent in tabernaculo federis; ubi Paganius legit: Ad militandum in opere tabernaculi.* Oleaster, in Epistolis moralibus, de hoc textu inquit: « Sæpius « mecum mirari cæpi, cur Dominus venientes ad « servitutem ejus, dicat venire ad militandum. « Juste valde hoc factum esse credendum est, ideo « enim, *Eclii., ii, 1*, dicitur: *Fili, accedens ad servi- « tutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem.* « Quis enim dicere queat, quot oppositiones, ob- « jecta, contradictiones hodie patiantur, qui pie in « Christo vivere volunt? Armatus videtur orbis om- « nis adversus eos, qui se Dei ministerio tradide- « runt, ita ut milites, et plus quam milites, imo et « martyres oporteat eos esse, qui ad ministeria « divina accedunt. » Origenes ait: « Cum se anima « verbo Dei sociat, statim patitur inimicos, quos « antea habuerat amicos. Sciat qui Jesu expetit « amicitias, multorum sibi inimicitias patienter « tolerandas. »

c. — Accedit cæcus hic ad Dominum, salutem non solum corporalem, sed et spirituales quaerens, quam impetravit, Christum interpellans; quam- obrem mundus et diabolus in eum insurgunt, hæc est enim una de astutiis: cæcus sed alius vocifera- tur. Ut enim ignis parvus quovis afflatu extinguitur, at magnus eo magis accenditur, capit enim vires a contrario; sic amor exiguus quolibet obstaculo friges- cit ingens in dies augetur et inflammatur; ut patet in hoc cæco qui ad voces malevolorum altius inclamavit. Ex quo pulcherrimum nobis resultat documentum, ne deficiamus unquam ob impro-

borum calumniam in via virtutis. Qui enim propter peccatum perseverantiam negligit, præter injuriam quam Deo facit, stultus est, et sibi ipsi multorum damnorum causa, nisi perseveret. Apud Ezechielem, *xviii, 24*, dicitur: *Si avertit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, numquid vivet? Omnes justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione qua pravavimus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Unica præcisia sufficit ad destruendum omnes vineæ fructus. Ita quoque multis fidelibus animabus contigit, quæ in divinatorum præceptorum observantia minime sunt stabiles, aut perseverantes.

VERSUS 40.

Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se et cum appropinquasset, interrogavit illum dicens.

Stans autem Jesus.

1. — Dum cæcus ille vociferando perseveraret, Salvator autem se illum audire dissimularet, « tum « ne videretur cupidus edendi miracula causa osten- « tationis, » inquit Jansenius; « tum ut evidenti- « rem redderet cæci fiduciam, nosque doceret, « perseverantia opus esse in orationibus, tandem « substituit. » Subjungit autem idem Auctor, Christum ex importunitis et inconditis miseri hujus cæci clamoribus nequaquam ei fuisse offensum: « Non « enim ut reliqui patabant, ejus clamore offende- « batur sed delectabatur. » Apud Deum contrarium accidit illius, quod apud Principes terrenos confin- gere solet, quia apud Deum, ut aliquid obtineatur, sancta quadam opus est importunitate. De qua S. Ambrosius, *Serm. xv*, ait: « O beata violentia, quæ « non indignatione percutitur, sed misericordia « condonatur; quisquis violentior Christo fuerit, « religiosior habebitur a Christo; » ipse namque nos frustra non docuit, dicens: *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Luc., xi, 9.*

2. — Albertus Magnus ait: « Stetit, quia præter- « eunti fixit gressum et ad misericordiam expec- « tavit; *Isaie, xxx, 18: Expectat vos Dominus, ut « miseretur vestri. Ps. xxxix, 2: Expectans expec- « tavi Dominum et intendit mihi.* » Didacus Stella ait: « Stas Deus, cum ad auxiliandum se parat. » In cujus probationem illum Actuum Apostolorum textum, *vi, 53*, adducit, in quo S. Stephanus Proto- martyr, Salvatorem nostrum in liminaribus cœli, erecto corpore stantem viderit, ut ei assisteret, eumque in suo certamine animaret et confortaret. « Videt Jesum stantem, id est, ad subveniendum « paratum. » Salmeron, *ibid.*, ait: « Stans sanæ, « qui pertransiens eum audivit, quia secundum « naturam humanam, secundum quam transit, « commiseratus est cæcum; secundum vero divi-

« nam, quæ stat et æterna est sine motu et flexu, « gratiam sanctitatis confert. »

3. — Hoc autem Auctor iste a S. Gregorio didicisse videtur, qui, *Hom. i in Evang.*, ait: « Transire « humanitatis est, stare divinitatis; cæcum igitur « clamantem Dominus transiens audivit, sed stans « illumnavit, quod per humanitatem suam vocibus « nostræ cæcilitatis compatiendo misertus est, sed « lumen nobis gratiæ per divinitatis potentiam « infundit. » Ad vocem Jesu præcepit et rapidissimus solis curru substitit, *stetit sol*; similiter ad cæci ejusdam clamores sol justitiæ, eum a cæcitate sua sanaturus, firmiter gressum fixit.

4. — Hugo Cardinalis citat S. Hieronymum dicentem: « Quia cæcus sequi non poterat, stat « Dominus et vocari jubet, ne turba prohibeatur. « Sic debent facere magnates, stare scilicet et « vocare ad se pauperes, ut audiant eorum quere- « monias et faciant justitiam. » Didacus Stella dicit quod non solum cæci hujus lamentationibus benedictas præbuerit aures, sed etiam gressum fixerit et substitit: « Ut quiescente turbæ incenditis stre- « pitu, placatus hominis miseriam audiret lachry- « mas. » Poterat equidem illi, quidquid petebat a longinquo concedere absque eo quod stando iter seu viam suam interromperet sicut et non facta interrogatione illius, ejusque ad se facta accessione: « Sed pietatem et benignitatem piissimi Jesu « considera, docet enim quanta benignitate et man- « suetudine pauperes et miseri suscipiendi sunt. »

Jussit illum adduci ad se, et cum appropinquasset, etc.

5. — Dionysius Carthusianus similiter dicit, Christum cæcum hunc in eodem loco, ubi sedebat mendicans, illuminare potuisse, absque eo, quod illum in suum conspectum adduci juberet, nihilominus Christum optime fecisse dicit, miraculum istud in conspectu omnium patrando, tum ad majorem Dei gloriam, tum ad totius illius ingentis multitudinis majorem edificationem; tum ad doctrinam, quam prædicabat, confirmationem, tum ad magis corroborandam cæci illius fidem, dum restitit sibi noviter visu benefactorem suum perfecte interioremque pro vero Deo et Messia recognoscere poterat.

6. — Salmeron ideo Christum, cæcum ad se adduci jussisse dicit, quia cæcus utpote orbatus per se viam invenire non poterat, ut se coram eo sosteret, sicut etiam ut communicaret meritum illi, qui ipsum adducebant, qui antea idem obsterant, « tum ut illi, qui impediabant, essent etiam ministri salutis cæci et plures accurrerent, qui essent « miraculi oculares testes. » Id quod etiam Jansenius advertit, dum ait: « Quo omnium oculos ad « miraculi considerationem converteret, essetque « miraculum evidentiis. »

7. — Albertus Magnus super illa verba: *Cum appropinquasset Jesus*, sequentem fundat moralitatem: « Per contritionem et cordis devotionem; » his enim pedibus approximamus ad Deum, juxta illud Jacobi, iv, 8: *Appropinquante Deo et appropinquabit vobis*; et Psalmi xxxiii, 6: *Accedite ad Deum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

Annotationes.

a. — *Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se, etc.* Recte quidem facis, Domine mi, protegens hunc pauperem, cum totus enim mundus eum deserat, tu eum non potes deserere, ostendens ingentem illam curam et sollicitudinem, quam habes pro salute uniuscujusque animæ in particulari. S. Paulus, ad Galatas, ii, 20, ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* S. Chrysostomus peregrinum hujus Apostoli loquendi modum, quo totum Redemptionis nostræ pretium, in totius humani generis beneficium collocatum sibi soli attribuit, examinans, dicit: « Quid « facis, o Paule, dum communis propria tibi vindic- « cas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, « tibi facis peculiaria? Non enim dixisti: *Qui « dilexit nos, sed, qui dilexit me, cum tamen Re- « demptor noster Nicodemus expresse dixerit: Sic « Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum « daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Tu « ipse ad Romanos scribens dixisti: *Proprio Filio « suo non peperci, sed tradidit eum pro nobis.* » Huic difficultati D. Chrysostomus respondet, quod Redemptori nostro tanta sit æstimatio et cura unius animæ, quanta omnium in universum, siquidem Deus tam pro una solum anima, incarnandus et passurus fuisset, quam pro omnibus: « Unde par « esse declarat, ut quisque nostrum, non minus « agat gratias Deo, quam si ob ipsum solum adve- « nisset, neque enim recusaturus fuisset vel ob « unam tantam exhibere dispensationem, adeo sin- « gulum quemque hominem pari charitatis modo « diligit qui diligit orbem universum. » Hæc veritas in duabus parabolis ovis et drachmæ specia- lissime exprimitur.

b. — Jesus ostendit hic dum jubet hunc cæcum ad se adduci, in ipso cæco, quod in dies, in nobis adhuc operatur; ut sicut hic cæcus, ex hac Jussa et mandata adductione multam Jesum amandi accipiebat causam, sic quoque nobis per beneficia vocationis ad fidem, justificationis, preservationis a multis peccatis, et periculis, conservationis creaturarum, multa Deum amandi suppeditantur motiva. Per illa enim nos velut cæcos ad se adduci jubet, ut lumen recipiamus immensum ejus in nos amorem cognoscendi.

VERSUS 41.

Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.

Quid tibi vis faciam?

1. — Glossa ait: « Non ex ignorantia querit, sed « ideo ut rogetur et ut mentem ad orationem exci- « tet. »

2. — Glossa Interlinearis ait: « Non ignorat, sed « vult audire confessionem, qui noverat intentio- « nem. » S. Ambrosius similiter ait: « Interrogat « ut credamus, non nisi confidentem posse salvari. »

3. — Videri haud immerito poterat, incremat et incarnatam Sapientiam, non debuisset cæcum istum hoc modo interrogare, dicendo: *Quid tibi vis faciam?* Justum enim est, ut nos voluntatem nostram in manus Dei resignemus: *Justum est subditum esse Deo*; ipseque Christus nos in oratione quotidiana ita orare docuerat: *Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra.* S. Paulus quoque, quando circumfulsit eum lux de celo, apertisque oculis nihil videbat, in fortunata illa cæcitate subito dixit: *Domine, quid me vis facere?* quomodo igitur Deus noster nunc vult voluntatem suam voluntati cæci hujus subjicere? S. Bonaventura ait: « In quo apparuit liberalitas « dantis, quia offert se beneplacito postulantis. » Albertus Magnus pariformiter dicit: « Attende « magnam dantis beneficium liberalitatem, quid « vel quantum det, in voluntate constituit poten- « tis; » unde se habet ac si jam persecutus fuisset et penetrasset ipsius fervorem, fiduciam, fidem, devotionem, omnesque alios actus interiores: « Jam « video devotionem tuam, jam intueor fidem, jam « considero spem, jam sentio charitatem; petitio « tua in tua sit voluntate et optione. » Hanc porro oblationem nemo alius præterquam solus Deus facere potest, non tantum ideo, quia ipse solus potest omne id quod vult: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit*: verum etiam, quia ipse solus cognoscit, an nobis expediat quod offert, novitque an nos ejus simus liberalitate abuturi, an vero non.

4. — Enimvero major pars multitudinis illius, que post Christum sequebatur, cæcitate quadam laborabat longe miserabiliore quam erat illa, qua hic noster afflictabatur cæcus, siquidem Christum, Filium Dei et promissum in lege Messiam esse non credebatur; perlibenter cæcum hunc corporaliter illuminando, multos quoque alios spiritualiter illuminaturus fuisset, et proinde illum ad se adduci jussit; ut hac ratione et ex precum instantia, quas faciebat et ex interrogatione et ultronea sui oblatione et opis, et ex interrogatione, denique et ex miraculo, quod circa illum patrabat, de ejus divinitate tanto evidentius certificarentur. Unde Salmeron ait: « Interrogat Dominus, non ut ignorans, « quia omnia novit, sed ut astantes scirent, eum

« non petere vulgarem elemosynam; et qualis ab « homine peti solet, sed divinam virtutem et excel- « lentem, quæ est a Deo, et ut, dum cæci Christum « Filium Dei esse confiterentur, videntes, qui eum « tantum hominem putabant, confundantur. » *Quid tibi vis faciam?* Quisnam alius ipsimum melius dicere poterat illo, qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; maxime tali caudam cæco, qui orbis erat luce corporis et anime.

5. — Theophylactus scribit Christum hanc interrogationem in conspectu omnium proposuisse: « Ne ille presentibus alia petere videatur, ipse alia « dare et dum ille petit pecuniam, ipse ut ostenta- « tor, cæcitate sanaret, nam fortassis insipienter « talia fingere posset invidia. »

6. — Porro certissima causa, ob quam cæci hujus voluntatem exploravit, fuisse videtur, ut tanto magis authenticaret et manifestaret in cæco patrandum miraculum; estque hæc ponderatio Jansenii dicentis: « Ut illo palam agnoscente suum « malum et explicante suum desiderium, miran- « lum ab omni esset liberum calumnia; ne aliqui « dicere possent, hunc vere non fuisse cæcum, aut « Jesum pro ostentationis gratia, pro desiderata « stirpe contulisse visum, solent enim quidam men- « dici fingere cæcitate, quo plus accipiant. » Etenim satis est verisimile, in illa multitudine multos fuisse, qui credebant cæcum hunc non alio fine altum adeo vociferatum fuisse, quam ut pinguem aliquam a Christo elemosynam acciperet, siquidem Christus ex his, que ei a sibi devotis subministrabantur aliis quoque pauperibus communi- care solebat.

7. — Dicit quoque potest, ideo Christum hunc interrogasse: *Quid tibi vis faciam?* ut nos doceret, quod dona et gratias suas communicare nolit, nisi prius nos ad illas recipiendas per voluntatem et desiderium nostrum disponamus.

At ille dixit: Domine, ut videam.

8. — Hugo Cardinalis bene notat, cæcum hunc, Christum non jam filium Davidis appellare, ut in principio fecerat, sed tantum dicere: « *Domine,* « quasi dicat: Filius David cæcos illuminare non « potest, Filius autem Dei potest. » Didacus Stella, postquam idem cum Hugone ponderasset, subjungit: « Quamdiu dixit: *Fili David, miserere mei,* sus- « pensa est sanitas, sed cum dixit: *Domine, infusa « est; nec mirum, ipse est enim Dominus, de quo « in Psalms. cxlv, 8: Dominus illuminat cæcos.* » Magna cum fiducia recurrit ad Christum, ut illum- naretur: siquidem ipsum filium David nominando, veluti verum Messiam pariter agnoverat. « De quo « prædixerat Isaias; » ut notat Salmeron: *Tunc aperientur oculi cæcorum.*

9. — Jansenius hujus cæci desiderium ita decla-

rat : « Da in primis ut videam, hoc est, per fidem cognoscam, te solum verum Deum et veram veritatem latam, quae ad te perveniat. » Et revera haec jure merito esse deberet praecipua et frequentior postulatio, quam unaquaque anima in suis orationibus Deo proponere deberet; siquidem salutis nostrae fundamentum est lumen fidei et agnitionis Dei : *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, non gloriatur fortis in fortitudine sua et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur; scire et nosse me.* Jer., ix, 23, 24. Id quod in S. Joanne clarius dicitur : *Hec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Albertus Magnus dicit, caecum in hac petitione intendisse, praeter visum corporis insuper etiam lumen spirituale : « Videam non tam extra, quam intus, visio enim tui merces est et videre Deum beatitudo est. » Tritum est axioma illud : « Creasti nos, Domine, ad te, » et ideo quidquid a nobis fit, quidquid desideratur, quidquid denique cogitatur a nobis, id totum directum esse debet, velut linea ad centrum, id est, ad visionem beatificam.

10. — Prima et pulcherrima inter omnes creaturas visibiles, quae unquam a manibus divinis profecta fuit, lux fuit : *Fiat lux*; ad denotandum, quod lux fidei et notitia Dei omnem aliam quamcumque rem appetibilem praecedere debeat, sicut enim illa servit ad illius confusi chaos discretionem, ita lumen spirituale nobis servit ad videndum antiqui adversarii laqueos, ad discernendum a virtute vitium, ad ponderandam et aestimandam aeternitatem, ad appetiendam animae nostrae thesaurum, ad imminenda nobis vitanda pericula, ad incitandum bonorum exempla, ad proprios emendandos effectus, etc.

11. — Arguta est observatio, quam Salmeron hoc loco facit, nimirum : Christus caeco huic liberam dederat petendi optionem et facultatem, dicendo : *Quid tibi vis faciam?* Ipse vero petiit : *Ut videam.* Cur autem non potius rem aliquam durabiliorem a Domino sollicitavit? lumen enim et visus sanus ultra vitam, quae adeo longa in ipso esse non poterat, durare nequit : « Ad haec parum delectare poterat, cum molesta et acerba multa oculis hauriamus, sunt enim oculi plerumque occasio superbiae, et cupiditatis, et obsceni amoris atque distractionis, atque plerumque ruina animae esse solent, juxta illud, *Thr., iii, 31 : Oculus meus depradatus est minimum meam.* » Ecce igitur quam verum sit, quod nos a Deo sepe numero malum nostrum postulemus, simulque nobismetipsis ruinam nostrorum artifices.

12. — Jansenius hisce verbis expositionem quamdam adhibet, praesenti tempore valde adaptatam : « Da ut videam et agnoscam vanitatem hujus saeculi, ut videam, semperque ob oculos habeam ultimum vitae meae finem, ne unquam obdormiam

« in morte. » Hoc autem lumen hisce vanissimis diebus magis quam alias unquam a Deo nobis postulare nequeamus habemus, ut cognoscamus mundi hujus, hisce diebus, vanitatem, quae in hoc carnisprivio tot modis nos ad malum irritat et provocat, ut oculum nostrum ad contentiendum novissimam horam et diem defigere, et illud : *Memento homo, quia cinis es, etc.*, ob oculos continuo habere non valeamus. Salvianus populum Romanum spectaculis, aliisque profanis gaudiis immersum conspiciens, exclamavit : « Sardonieis herbis omnem Romanorum populum putes exsaturatum, moritur et ridet; » haec enim herba quaedam esse venenosa, quae illam manducantibus mortem conciliat, sed talem qua homines velut ridendo moriuntur, ille autem risus, non a corde, quo oppressus est, procedit, sed a labiorum rictu et apertura : idem quoque multis accidit, qui se letos et hilares esse simulant, cum tamen tales revera non sint, siquidem uti de S. Thoma Angelico Doctore, qui ubi ingentem sapientiam suam *omniscius* dicitur, refertur; hic nunquam capere potuit, quomodo Christianus peccato mortali in anima sua obnoxius ridere possit. Et quidem si letitia talis ex comediis nascatur, vel ex larvarum personatis vultibus, hastiludis, aliisque similibus spectaculis, ficta est, sicut et omnia illa ficta sunt et forniceus tantum leti speciem habentia : *Risum reputavi errorem et gaudium dixi : quid frustra deciperis? Eccl., ii, 2.* Quando filii Israel inter choreas, ludos, convivorum epulas aliisque hilaritates, verum bacchanaliorum symbolum vitulum aureum adoraverunt : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Exod., ii, 6. Moyses ad locum, ubi idololatria haec exercebatur, appropinquans, dixit : *Vocem cantantium ego audio.* Josue autem in societate Moysi constitutus alium se strepitum audire existimabat, unde ait : *Ulutatis pugnae auditur in castris;* imo sacer quidam interpres scribit, quod verba praedicta a Moysse prolata, juxta hebraice linguae radiceam seu originem, idem significant, quod vox *afflictionis et miseriae auditur* : at vero si Moyses vocem cantantium et choreas agentium audiebat, quomodo dici potest, quod audierit vocem afflictionis et miseriae? vere tamen ita est quia, *Prov., xv, 23, extrema gaudii luctus occupat; risus dolore miscbitur.* Fateatur idipsum mundani apud inferos, *Sap., v, 7,* dicentes : *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Chrysostomus verba illa Davidis, *Psal., iv, 7,* ponderat, quibus ad Deum conversus ita loquitur : « *Dedisti latitiam in corde meo; non dixit simpliciter : Dedisti latitiam, sed, in cor meum, ostendens in rebus externis non esse latitiam, haec enim latitiam non est cordis, sed oculorum.* »

ADDITIO.

a. — *Dicens quid tibi vis faciam? At ille dixit :*

Domine, ut videam. Brevis oratio, et multa fide plena, et quamvis pauper esset et multis indigeret, tamen hoc postulabat, quod ei magis necessarium est, ut notavit S. Ephrem, *de Paenitentia spirituali*, dicens : « Numquid dixerunt illi caeci : da nobis vestimentum, quoniam pauperes sumus? Minime vero, sed illud postulaverunt potius quod magis urgebat. Quapropter, mi frater, quod urget magis « sunt, ea a Deo postula. » Postulet ergo homo id a Deo, quod magis ei necessarium est, ut videat, scilicet, turpitudinem peccati, mundi fallacias, et Paradisi stabilitatem et ab omnibus periculis immunitatem.

VERSUS 42.

Et Jesus dixit illi : respice; fides tua te salvum fecit.

Dixit illi : respice.

1. — Chrysostomus, *in Cat.*, dicit, quod, cum Judei miraculo huic caeci illuminati calamitose derogare poterant; sicut circa caecum natum facere tentarunt, dicendo : « *Similis est ejus;* ideo Christus « voluit, ut caecus prius ostenderet defectum naturae, « tunc cognoscat gratiae majestatem; at ubi petitionis modum caecus explicuit, tunc cum summa « majestate praecipit ei, ut videret. » Theophylactus ait Christum dixisse : *Recipito visum,* et postea subdit : « El qui Prophetarum ita sanavit, tali « inquam potestate? unde et vox a vero lumine « progressa, lumen caeco facta est. » Didacus Stella ait : « Imperativo modo sanavit illum et praecipit « sicut Deus, ut visum haberet. » Salmeron ait : « *Dixit, et facta sunt; praecipit Domini lucidum « illuminans oculos.* »

2. — Etenim verisimile est, caecum hoc sibi restituro visu usam semper esse, in bonum animae suae, alias enim verisimile est secundum humanam malitiam : *Nequius oculo quid creatum est?* enimvero oculi ejus hanc habuere praerogativam, quod illuminati fuerint ab illo, de quo scribitur : *Erat lux vera.*

3. — « Expende, » inquit Didacus Stella, « quod « quando fideliter et bene petimus, non alia nos « petimus, et alia dat Christus, sed illa ipsa quae « petimus, atque ita quoties unum petimus, et « aliud accipimus, manifestum est, quod non bene, « neque fidei aliter petimus. »

4. — Consideratione dignissimum est miraculum illud, quod per digitum illum sanctae Catharinae Senensis, cui Christus annulum sponsalium cum dicta sancta ab ipso contracti inseruit, patrum fuit; nam quando beatus Stephanus Macconis Carthusianus, qui praedictae sanctae Virginis familiaris fuit, excessivos quadam vice pateretur oculorum dolores, jamque lumen oculorum quasi totaliter amisisset, post applicatam oculis suis hujus digiti reliquam, oculorum integram sanitatem protinus

recuperavit. Hunc autem annulum ipsa promerita sibi fuit, per mortificationes et austeritates, quibus in hisce bacchanaliorum diebus corpus suum maceverat. Unde perspicue deduci potest, quod anima quae Deo fidelis est, non vero de illarum numero, de quibus Osee, ii, 3, scribitur : *Vadam post amatores meos, sed quae Deo in veritate dicere potest : Sponsa te mihi in fide, magnum sibi lumen et notitiam Dei, ad contentendas omnes mundi hujus vanitates, et insanias falsas acquirere possit.*

Fides tua te salvum fecit.

5. — Dionysius Carthusianus, *in Cat.*, ait : « Visu « interiori et exteriori, quem etiam corporaliter et « spiritualiter illustravit. » S. Thomas scribit, quod juxta pondus et mensuram fidei, beneficia vendantur : « Pro fidei enim venduntur beneficia, « diffunditur enim gratia, quam suscepit fides. » Salmeron tamen distinguit, ostenditque hanc fidem donum fuisse ejusdem benefactoris : « Fidem, quae « donum Dei est, vocat Christus fidem caeci, et illi « eam adscribit ob singularem ejus beneficentiam, « quae enim nobis dat, vult esse nostra. »

ADDITIO.

a. — *Et Jesus dixit illi : respice; fides tua te salvum fecit.* Non de omni fide loquitur Jesus, sed de fide formata : nullum enim opus bonum, sine charitate quidquam valet. Amor autem Dei fidem et omnes res, etiam minimas pretiosas efficit, et solus caeco comparando sufficit, utpote ad quod securam et levem viam sternit. Si *tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* ait Apostolus, I Cor., xiii, 3. Unde S. Bernardinus Senensis, *tom. II, Serm. II,* inquit : « *Charitatem si non habuero, nihil sum,* id est, « nihil ad meritum mihi prodest, ac si nihil esset. » Quod ibidem Idiola confirmat dum ait : « Ubi amor « defuerit nihil valet quidquid agitur; omnia valent « quae cum amore aguntur. » Hanc quoque veritatem S. Thomas nos docet, dum ait : « Cum per charitatem homo in ultimum finem dirigatur, nulla « potest absque illa simpliciter vera virtus esse. » S. Petrus, I Epist., i, 7, ait : *Probatio fidei multo pretiosior auro.* Sciendum tamen est quod ad hoc ut aurum hoc fidei pretium justum habeat, ignitum esse debeat, addit enim beatus Apostolus : *Quod per ignem probatur.* Siquidem fides absque charitate neutiquam prodest.

VERSUS 43.

Et confestim vidit, et sequebatur eum, magnificans Deum; et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Et confestim vidit.

1. — Clamores caeci hujus avidissimi, de quibus verificatur, quod Isaias, xxx, 19, praedixerat : *Mise-*

rans miserēbitur tui, ad vocem clamoris tui statim ut audivit respondēbit tibi.

Et sequēbatur illum magnificans Deum.

2. — Chrysostomus ait: « Bonum munus obtulit Christo, et quale? *Sequēbatur eum magnificans Deum.* » Porro demoniaco a se liberato permittere noluit, ut se sequeretur, ne forte libertati jam restitutus per omnia loca cum Christo pertransiens, causa esset, ut miraculum circa se patratum magis magisque divulgaretur: at vero cæcum hunc illuminatum secum in Jerusalem conduxit, quando eo abibat moriturus, ut propriis oculis suis cornerent, quod voluntarie et sponte propria in patibulo crucis affigeretur: « Quando Jerusalem ascendebat, per crucem perfecturus altam mysterium, ut recentem habentes miraculi mentionem, non aestimarent eum infirmitate potius quam misericordia pati. »

3. — Theophylactus gratitudinem ejus admiratur his verbis: « Vide gratitudinem ejus, qui sanatus est, secutus est enim Jesum magnificans Deum, factusque est et aliis glorificandi Deum auctor. » Idem quoque Euthymius ait: « Sequēbatur eum et tanquam gratus et beneficium rependens. »

4. — S. Bonaventura ait: « Sequēbatur per subjectionem obedientiam. » Quando enim anima aliqua, lumen et notitiam Dei receperit, per ejus directionem se aliis subjicere debet; cum enim propria voluntas nos decipiat, duce et præside nobis semper opus est.

5. — Salmeron S. Gregorium citat, qui de cæco hoc, Christum sequente, aliam expositionem adducit: « Ut eleganter ait Gregorius in Homilia hujus Evangelii: videt et sequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur; videt autem, sed non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed bene operari contemnit. »

6. — Jansenius ad cautellam eorum, qui cum reducti sunt ad penitentiam, ne reciderent, aliud ex hac cæci sequela eruit morale documentum: « Cavendum ei, » inquit, « ne ad pristinam redeat locum, nec amplius juxta viam sedeat et mendicet, sed sequatur in via Jesum ad crucem pergentem; nec tantum sequatur, sed simul animo grato, Dei semper in se glorificet gratiam. » Quisquis hisce diebus lumen a Deo recepit, cognoscendi voluptatum et illecebrarum mundi hujus pericula et falsam et fraudulentam licentiam, is magis in sequela Christi effervescendo, gratum se exhibeat, atque ad Deum conversus, cum Psalmista Ps. cxviii, 33, 38, dicat: *Averte oculos meos ne videant vanitates, in via tua vivifica me; statue sermo tuo eloquium tuum.* Salomon postquam omnia imaginabilia hujus mundi gaudia expertus fuisset: *Omnia que desideraverunt oculi mei, non negavi eis, tandem respiciens, quodnam verum lumen sit, declarat, Eccles., ii, 14,*

dicens: *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat.* Ut S. Basilus ait: « Id est, ut ea contemplantur, quæ in sublimi sunt, » sublevandum est cor nostrum ad gaudia et voluptates alterius vite. De S. Francisco legitur, quod is, postquam comitem de monte Feltrio in castello montis Leonis hastilaudia, jocos et alia similia spectacula apparare intellexisset; socios suos hisce verbis fuerit exhortatus: « Eamus et nostras opprobria arcus demonis insidiis, quas in hujusmodi jubilationibus sternere solet incantis. » In eo igitur loco constitutus prædicare cœpit, thematicque loco hæc sibi verba assumpsit: « E' tanto il ben, che aspetto, che ogni pena m'è diletto, » id est, « tantum est bonum illud, quod me expectat, ut nulla sit pena, que non me delectet, » idque tanta eum energia prosecutus fuit, ut, comes Orlandus Dominus vallis Casentini montis, qui presens aderat, inde compunctus ejus se directioni et discipline submisit, eique Alvernie montem liberali dono donavit; tandem vero historia ita concludit: « Expenderunt eo tendisse sermonem, ut a festis et vana sæculi lætitia transeundum deceret, ad crucis Christi perferendæ passionem, sine junibus non pervenitur ad regnum. » Porro in principio presentis Evangelii mentio fit Passions Dominicæ sufficit abunde, ad tollendum e medio pannum illum, qui oculorum lumen nobis obfuscat, id est, voluptatum præsentium illecebras; valet etiam ad bacchanaliorum ebrietates et erapulas condemnandas, dummodo oculos per seriam quandam meditationem aperiamus. Salmeron de hoc cæco agens, Abraham, Isaac et Jacob, inter alios Veteris Testamenti sanctos Deo adeo fuisse gratos et acceptos dicit: « Quia cum totus mundus in tenebris idololatriæ et obscenorum peccatorum involutus esset, ipsi præ cæteris avertentes oculos a vanitate, Deum colebant, illumque sequēbantur. Idcirco quando omnes Christum illis bacchanalium diebus derelinquunt, tu contende illum sequi; » imitare boni latronis exemplum, qui dum Christus a suis Apostolis et discipulis, aliisque suis sequacibus prorsus derelictus esset, quando unusquisque ei maledicebat, conviciabatur: « Ille solus Dominum et Regem confessus est, ut intellegant omnes, qui Christi Dei cultores esse volunt, tunc sibi esse Christum vite et vite integritate consecrandum, et ore confitentium coram hominibus, cum maxime homines insaniant, et opera tenebrosa demonis amplexantur, et in præcipitium gehenne certatim se dejiciunt. »

Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

7. — Advertendum hoc loco est, S. Lucam dicere, quod hic populus laudem Deo dederit, non tam post miraculum a Salvatore patratum, quam postquam viderunt, quod cæcus iste illuminatus, gigantæis passibus seu gressibus Christum benefactorem suum fuerit insecutus; ubi nobis notandum est, quod plebs *dedit laudem Deo*, ad exemplum cæci hujus, qui, ut jam diximus, *sequēbatur illum magnificans Deum.* Enimvero exemplum illorum, qui eo tempore præcipue Christum sequuntur, quo torrens mundi contrarium faciendum esse persuadere nititur, nobisque se omni virium conatu opponit, valde est efficax ad alios, ut idipsum faciant, permovendos. Sic enim in vita S. Caroli legitur, quod, dum sanctissimus hic Cardinalis ipso bacchanaliorum tempore, Ferrariam esset pertransiturus, dux urbis illius explicatum in foro veiculum, nec non et statuum ibidem velut indulta licentia et lascivie bacchanalis indices publice erectam inde demoveri, omnesque solitas larras, ludos, jocos, aliasque vanitates pro illo anno prohiberi jussit, ne aliquod transeunti sancto scandalum daretur. Venetiis pariter sancto illam civitatem eadem vice pertranseunte, facta est per ipsum feria quinta ante Dominicam Quinquagesimam communio quedam generalis, fuitque in vasta illa civitate, talis et tanta commotio populii, qui ad ejus imitationem, exercitiis spiritualibus vacabat, ut solemniss Paschatis dies esse vide-

retur, neque in publico vel unus homo larvatus conspectus fuerit.

Adiciones.

a. — *Et confestim vidit et sequēbatur illum magnificans Deum.* Receptus favor magnus erat, sicque recognoscebat eum, sed major est quam exhibet tibi illuminando animam tuam, eamque ad penitentiam excitando et expectando. Unde et majorem ei exhibere debes gratitudinem, nisi etiam ut ingratus velis severius puniri.

b. — Prudenter fecit iste cæcus recognoscens, et gratus pro favore accepto, gratus agens Deo. Deus enim gratiarum tributum, pro beneficiis suis in lege nature, scripta et Evangelica semper postulavit. Institutio festorum, ab Ecclesia, per assistentem ei Spiritum Sanctum facta, nullum alium præter debitam gratiarum actionem finem habet: « Quia enim in multis homo Deo existit ingratus, » inquit D. Chrysostomus, *Hom. xxvi, in Matth.*, « ipse ubique suscipit vicem nostram, et ad ea que ad nos pertinent, per divitias sue dispensationis operatur, nam quod pro Judæorum aliquando salute faciebat, temporibus, locis festivitatibusque variis, in memoriam illius suorum beneficiorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificii, ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum in-citans actiones. »

FERIA QUARTA CINERUM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VI, VERS. 16

16. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cum jejumas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, et Pater tuus qui est in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærgo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærgo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

VERSUS 16.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Cum jejunatis.

1. — Non sine causa, hoc primo die quadrage-

simæ, præsens nobis Evangelium proponitur, siquidem cum fideles haecenus crapulis ad gulam usque immersi, omnibusque aliis vitiis contaminati fuerint, merito hodie ad jejunium et penitentiam invitantur. Chrysologus de jejunio quadragesimali, *Serm. cxvi*, tractans ita scribit: « Cum mundus, intra gratias humani primordia per delenda, « nefando vitiorum squalore sordesceret, et totus